



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Liber VII. De modo sciendi veritatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)



LIBER SEPTIMVS

De Modo sciendi veritatem.



TRACTATVS I.

De quidditate, & speciebus
modi sciendi.

CAPVT I.

Quid sit modus sciendi.

MODVS sciendi, siue oratio ignoti manifestatiua nihil aliud est, quam ea qua clarè exprimitur ac significatur quod ante illam, vel nullo modo, vel certè obscure tantum innotecebat. Cen ent autem plerique neoterici, modum sciendi esse rationem quādam communem definitioni, vtrique strictæ, & essentiali, cuiusmodi est hæc ex. g. *homo est animal rationale*, diuisioni, & argumentationi, nec extra has species amplius porrigi. Arbitror tamen eos falli. Siquidem modus sciendi ab illis met, & omnibus definitur oratio ignoti manifestatiua: sed ignoti manifestatio, patefactio, ac perspicuitas non solum in definitionem, diuisionem, & argumentationem, sed in quamuis propositionem euidentem, & claram v. g. in hanc, *Petrus currit*, conuenit: impossibilis ergo & commentitia est ea ratio communis modi sciendi, quæ præfatis tribus speciebus propositionis, aut orationis solum conueniat, eisque ita sit stricta, vt non possit latius euagari.

2 Respondent aduersariorum aliqui primò, definitionem illam ita intelligendam esse, vt modus sciendi sit oratio, aut propositio explicite manifestatiua eius, quod implicite in alio latebat: quod quidem hæc propositio, *Petrus currit*, minimè præstat: secus verò hæc definitio, *homo est animal rationale*, cuius prædicatum in eius subiecto implicite delitescit: idemque dicendum est de hac diuisione, animal aliud est rationale, aliud irrationale; & à fortiori de argumentatione, cuius conclusio identitatem immediatam extremorum in præmissis implicitam explicat. Sed, vt alias huius responsionis impugnationes desinam, hæc propositiones, *homo est animal*, *homo est substantia*, *homo est risibilis* aliæque similes explicite manifestant, quod in alio implicite latebat: & tamen nulla earum definitio stricta diuisio, aut argumentatio est.

3 Respondent alij secundò, modum sciendi provt à definitione stricta, diuisione similiter sumpta, & argumentatione abstrahitur, & omni propositioni communis non est, esse ignoti manifestationem, quæ regulis dialecticæ conformis sit, siue in qua

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

artificium logicum eluceat. Cæterum non magis placet hæc solutio, quam superior: ignoti namque manifestatio, provt in ea explicata, etiam aliis propositionibus à triplici illa specie distinctis conuenit: cum aliæ plures regulis dialecticæ sint artificiosa ratione conformes, videlicet eæ, quibus aut quid describimus, aut aliquam obscuram per clariorem conuertimus, aut oppositam oppositæ æquipollentem reddimus, & id genus plures, quas enumerare superuacat.

Tertio alij cum Aueriā ferme quæst. 4. log. sect. 2. §. *tertio præcipue hæc instrumenta* respondent, modum sciendi in communi, provt definitioni strictæ, diuisioni propriæ & argumentationi conuenit, & aliis non conuenit, esse ignoti manifestationem, per modum obiectiui exemplaris, siue ideæ per se utilis, & appetibilis ad alias scientias comparandas. Pro quo notant primò, rationem exemplaris primariò reperiri in obiecto, ad cuius intuitum artifex id quod destinabat, efficit, vt Molina 1. p. quæst. 15. art. 1. disp. 2. & Vaquez 1. p. disp. 71. expresse perhibent. Secundò, omnes definitiones, quatenus huiusmodi, definitio constat genere, & differentia, immediate ex parte obiecti subsunt esse exemplar obiectiuum ad definiendum; idemque de diuisione, & argumentatione dicendum. Tertio, licet propositio vt sic sit etiam exemplar obiectiuum ad propositiones efficiendas quodammodo conducens, tale tamen exemplar non esse per se appetibile ad propositiones in aliis scientiis eliciendas: quandoquidem nemo ad efformandam hanc enuntiationem v. g. *Petrus currit*, essentiam, & naturam propositionis in communi sibi vnquam proposuerit, aut nisi frustra potuerit: deinde, licet interdum essentia propositionis in communi ad alias scientias acquirendas scitu utilis sit, non tamen propter se, sed in ordine ad argumentationem, quæ propositionibus constat, aut definitionem, vel diuisionem propriæ, & perfectè tales. Ex quibus colligunt primò hanc definitionem, *homo est animal rationale*, esse modum sciendi, quia, provt simul cum aliis per actum cognoscentem essentiam definitionis in communi confusè cognoscitur, est exemplar obiectiuum utile &c. idemque de quauis propria diuisione, & argumentatione in particulari dicendum esse. Alterum, quod colligunt, est, rationem illam modi sciendi in communi ita definitioni essentiali, diuisionique strictæ, & argumentationi conuenire, vt in alias propositiones, aut apprehensiones non conueniat, quoniam ad has efficiendas nullum exemplar est per se utile, aut appetibile.

Verum vt ratio exemplaris non in actu, sed in obiecto reperiat, quod aded constans non est, quin à Patre Suarez disp. 25. metaph. sect. 2. & aliis negetur, & vt cognitioni definitionis in communi omnes definitiones in particulari immediate respondeant, quod falsum esse inferius lib. 8. ostende-

T 3 mus.

mus, ut inquam hæc, & similia, quæ solutio supponit, vera sint, certè ad veritatem accedere nequit, quod ratio illa exemplaris obiectiui per se utilis, & expetibilis ad alias scientias soli definitioni, diuisioni, & argumentationi conueniat: siquidem, quoties regula formalis est utilis, & appetibilis ad alicuius executionem operis, regula etiam obiectiua, siue exemplar obiectiui eidem operi exequendo utilis, & expetibile non esse nequit: at plures regulæ formales distinctæ à definitione, diuisione, & argumentatione ad actus aliarum scientiarum comparandos per se, ac sponte sua sunt utiles, atque expetibiles; nimirum eæ quæ de æquipollentia, conuersione, & oppositione circumferuntur, aliæque similes, quæ per se, ac seorsum à quouis alio deseruiunt, ut quis aliis scientiis incumbens in earum materia, relicta propositione falsa, veram assumat, erroremque præcaueat, ut latè demonstratum est lib. 2. huius operis, cum esset nobis sermo de obiecto attributionis dialecticæ.

CAPVT II.

Quid sit definitio, quæ eius leges, & quæ species.

6 **T**Ametsi iuxta disputata cap. superiori modus sciendi latius pateat, quam definitio, diuisio, & argumentatio, negari tamen nequit, quin hæc sint potissima eius species, ac partes subiectiue: quæ causa mihi est, ut eis solis in præsentia libeat insistere. Ut ergo à definitione ordiar, ea sumi solet: primo latè, ac magis rhetoricè, quam dialecticè; quo sensu nihil aliud est, quam quæcunque, & qualiscunque rei explanatio, & siue quoad an est, siue quoad quid, cur, aut quale, aut fortassis quotuplex illius. Atque ita eam accepisse videtur Clemens Alexandrin. lib. 8. Stromatum sic inquires; eius autem quod animo cogitatur, explicatio est definitio: Necnon Fabius lib. 7. instit. oratoriar. c. 4. sic edisserens, *Definitio est rei proposita propria, dilucida, & breuiter comprehensa verbis enuntiatio*: Ac Cicero lib. 1. de orat. *Est enim (inquires) definitio earum rerum, quæ sunt eius rei propria, quam definire volumus, breuis, & circumscripta quadam explicatio*: & in topicis, *Definitio est, quæ quasi inuoluum euoluit id, de quo quaeritur*. Quæ & similia in omnem ferè modum sciendi conueniunt, si, ut verba sonant, accipiantur.

7 **S**ecundò usurpari consuevit definitio dialecticè, ac magis prescè, & propriè: atque ita eam definit Arist. lib. 1. topic. cap. 4. & lib. 5. metaph. cap. 8. & alibi sæpè, hunc in modum; definitio est oratio explicans naturam, seu quidditatem rei. Quò etiam recidit eius à Cicerone tradita definitio lib. 2. de finibus parum ab initio ubi sic habet, *Patescèlio quasi rerum operarum, cum, quid quidque sit aperitur, definitio est*: nec non illa, quam tradidit in topicis: *Definitio est oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid sit*. Aristotelem, ac Ciceronem sequuntur plerique alij.

8 **E**nimuerò, quò magis innotescat definitionis finitio hæc, obijciens aduersus illam, id primum, ac potissimum in ea supponi, quòd aliquid possit reuera definiri: tum quia ab actu ad potentiam valet consecutio: tum etiam, quia, si nulla res potest definiri, si cuiusvis rei definitio est impossibilis, & chimerica, & non quidditate aliqua prædita, sed omnino nihil, quò fieri potest, ut definitio rerum definiri possit aut quoad suam quidditatem, quæ nulla planè est,

explicetur: Atqui istud, quòd supponitur, falsum videtur esse, duabus de causis. Altera est, quia sequitur, admissa semel definitione rerum, processus in infinitum, dum v.g. homo definitur per animal, & rationale, & horum alterutrum per aliud prædicatum aliquod, & sic nullo fine. Altera verò est, fore, ut ab intellectu nostro cognoscantur omnes omnino res, nullaque nos lateat: definiri namque nihil potest, nisi, præter eius genus, illius etiam differentia ab omnibus aliis rebus nobis innotescat: at cognoscere non possumus, quo tenus, & per quid homo v.g. à cæteris omnibus rebus dissentiat, nisi eas omnes cognoscamus: omnium ergò cognitionem quamlibet definientibus opus est. Atque his de causis negant, definiri rem placere Antisthenis sectatores apud Aristotelem 8. metaph. text. 9. Speusippus apud Themistium 2. posterior. cap. 24. Epicurus apud Ciceronem lib. 2. de finibus aliique antiquorum.

Obijciens secundò: si definitio formalis esset oratio explicans naturam, & quidditatem rei, sicut una est vniuscuiusque rei, quidditas, ita & una eius esset explicatio genuina, & propria, adeoque una definitio, & non plures: quòd propterea absolutè necessarium esse docent Aristoteles 6. topic. 2. & 7. topic. 2. ac ceteri, qui definitionem rerum admittunt. At sic est, quòd vnius rei multiplex esse possit, & soleat definitio: hæc ergò aliter quam supra definienda est.

Obijciens tertio: Definitio iuxta Aristotelem, & omnes eius sectatores est oratio constans genere, & differentia: qua etiam in sententia est Plato in Theæteto in hæc verba: *Si differentiam cuiusque accipias, quæ ab aliis est distinctum, definitionem, ut quidam tradunt, acceperis: quamdiu verò commune aliquid attigeris, illorum definitionem, quorum communitas est, non habebis*: Necnon Damascenus c. 13. dialect. dicitur autem definitio seu à metaphora finium, seu termini positionum terra: quemadmodum enim finis, seu termini positio separat proprium vniuscuiusque, sic & definitio, seu terminus naturam vniuscuiusque, separat ab alterius natura. Damascenus ergo, & Plato, ut ex prædictis eorum verbis liquet, tum definiri rem putant, cum non solum eius genus, & cum aliis conuenientia apparet, sed multo maximè, quandò generi eius à cæteris differentia superuenit. Hæc ergo definitionis finitio, cum sit admittenda, certè prior à nobis tradita videtur esse neganda.

Ad primam obiectionem harum dicendum est, cum plerisque, ac melioribus Philosophis, præsertim Aristotele, tum locis superioribus, tum etiam 3. metaph. text. 3. tum 7. metaph. text. 4. tum denique 2. poster. cap. 2. ac Platone ubi supra necnon dialog. 7. de republica, plures res posse, ac debere definiri. Quòd autem Epicuri grex, quòd Speusippi, & Antistheni contrarium senserint, quid refert? Processus in infinitum non sequitur: sicut enim sine illo argumentamur, & discurremus, quia non est necesse ad argumentandum, & discurrendum, ut præmissæ, quibus utimur, discursu, & argumentatione alia nobis innotescant, sed sæpè satis est, ut sint per se notæ, aut euidenter, aut certè probabiliter, imò fieri nequit, quin primæ præmissæ sint tales, ita similiter, cum hominem v.g. definimus, non oportet eius essentialia prædicata, animal scilicet, & rationale definiri, sed, quin definiantur per alia, hominem definiri; idemque esset, esto non possent definiri, sicut suprema genera, esto sint ut aliqui in loco refellendi existimant, definitionis incapacia, subiectas tamen sibi species definiunt.

Porro

Porro nec sequitur, omnes res à nobis, cum quidpiam definimus, oportere cognosci in actu secundo, & absolute: satis enim est, si tantum in actu primo, ac veluti conditionatè; hoc nimirum sensu, ut, postquam sumimus rei definitæ quædam capita, ac summa, ut sic dixerim, fastigia, genus scilicet, & differentiam, illud faciat apparere convenientiam eius à cum non paucis aliis rebus, si represententur intellectu, hæc verò apparere contrā faciat eius differentiam à quacunque alia re menti representata, quin opus sit, ut absolute, & proxime eam disparet ab iis, quarum intellectus est immemor.

Ad secundam obiectionem dicendum est, tametsi vnius rei vna tantum sit obiectiua definitio (quod tantum argumento contrario conuincitur, quod etiam & non aliud ab Aristotele in topicis adstruitur) ceterum vnius rei multiplicem esse definitionem formalem. Ita Seneca de vita beata cap. 4. *Potest aliter quoque defini bonum nostrum, id est eadem sententia non iisdem comprehendendi verbis. Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, & aut in cornua sinuata media parte curnatur, aut recta fronte explicatur: vis illi, ut cunque ordinatus est, eadem est, & voluntas pro iisdem partibus standi; ita definitio summi boni alias diffundi potest, & exporrigi, alias colligi, & in se cogi. Et ibidem paulò infra: licet, si euagari velis, idem in aliam, atque aliam faciem salua, atque integra potestate transferre. Id ipsum docet Fab. lib. 7. cap. 4. nec vno tantum modo definitur res eadem, sed latiore, varioque tractatu. Vide nostrum Nicolaum Causinum eloquentiæ suæ lib. 4. cap. 17. vbi, propterea quod intimas rerum formas multa obscuritate humanis ingeniis natura vallauerit, varios definiendi modos vnius eiusdemque rei nobis ait esse necessarios. Vide etiam Fonseca lib. 4. institut. dialecticar. cap. 4. ad medium. vbi nobiscum sentit. Hinc ad tertiam obiectionem dicendum est, quod posterior definitionis definitio bene habeat, oratio scilicet constans genere, & differentia, haud obstat, quominus prior etiam sit retinenda: id enim quid, nisi eam more plurium aliarum rerum plures definitiones fortiri.*

Porro leges definitionis sunt hæc. Prima, ut sit propria definiti, hoc est, ut cum ea recurrat, ac reciprocetur, nihilque sit, de quo definitio dicatur, quin de eodem dici possit, ac debeat definitum, & hoc de nullo dicatur, cui definitio non competat. Id dialectici communiter his duabus exprimunt propositionibus: definitio aliis à definito suo conuenire non debet, definitio omni suo definito conuenire debet. Breuius id ipsum iam olim Iohan. Damascen. in dialect. cap. 14. *Perfecta autem definitio, qua conuenitur cum definito: imperfecta autem, qua non conuenitur. Idemque non minus breuiter, quam eleganter Augustin. tom. 1. lib. de quant. animæ cap. 25. Definitio nil minus, nihil amplius continet, quam id quod susceptum est explicandum: aliter omnino vitiosa est: vitrum autem huiusmodi vitis careat, conuersione exploratur. Legis superioris priorem partem non obseruat qui, ut cum Cicerone lib. 1. de inuentione loquar, rei communia describit hoc modo: *se-ditiosus est, qui malus, atque inuultus est cinis: nam hoc non magis seditiosus, quam ambitiosus, quam calumniatorius, quam alicuius improbi hominis vim describit. Eiusdem legis posteriore partem non obseruat, qui substantiam spirituales, omnisque corporeæ concretionis expertem sic definit: est quæ corpori semel vnita ab eo separari, & separata conseruari potest: hoc enim animo rationali conuenit, non ta-**

men Angelo, non Deo, quorum tamen alteruter est substantia spiritualis. Cæterum in hac hominis definitione, *homo est animal rationale* vtrunque legis illius partem videas impleri: nullus enim homo non animal rationale, nullum animal rationale non homo.

Secunda definitionis bonæ lex est, ut sit clarior definito, siue, ut sit ex notioribus. Contra quam peccant inprimis, qui ænigmatibus, translationibusque obscuris, & remotis vtuntur: ut si quis hominem definiat, arborem inuersum; aut eunuchum, hominem non hominem; aut luscum, videntem non videntem; aut vinum, iuxta Aristotelis phrasim, in quadam ad Alexandrum epistola, sanguinem terræ; aut terram ipsam, magnam matrem; aut lapides, telluris ossa, cum Ouidio lib. 2. *Metamorphoseos*, vbi Themis Deucalioni, & Pirrhæ quærentibus, qua arte humanum genus aquis extinctum posset reparari, sic respondet.

Discedite templo,

Et velate caput, cinctasque resoluite vestes,

Ossaque post tergum magna iactate parentis.

Quam fatidicæ deæ sortem ita interpretatur Deucalio.

Magna parens terra est, lapidos in corpore terra

Ossa reor dici, iacere hos post terga iubemur.

Aduersus eandem etiam legem offendunt, qui idem per idem definiunt, vel quod perinde est, quorum definitiones definita saltem implicite, ac latenter ingrediuntur: ut si quis definiat solem diem parentem: dies enim, cum definienda sit per solem, eiusque in hoc nostro hemisphærio præsentiam, sit, ut in prædicta solis definitione ipse sol, sin minus aperte, tacite saltem ponatur, ac tota res maneat inexplorata. Vel si quis definiat patrem, eum qui habet filium: quando namque filius eodem iure definiendus est, qui habet patrem, hic illam sui definitionem intrat, nec eius vi clariùs, aut luculentius quam antea cognoscitur. Sed de his satis.

Tertia lex definitionis est, ut nihil in ea deficiat, aut redundet. Deest autem aliquid in ea, quando (contrā quam præscribit Aristoteles 7. topicor. c. 3.) res non definitur per genus proximum, sed per remotum: hunc in modum, homo est substantia rationalis, vbi omnes differentiæ à substantia à rationale omittuntur, quæ tamen non essent omisæ definito homine per animal, quippe in hoc inclusæ. Superfluit autem in definitione id, quo sublato ea nihilominus satis explicat definitum: nam, si hominem definias, est animal rationale risibile, exempli risibilitate, reliqua, quæ manent, hominis essentiam optime explanant. Quarta denique regula est, ut definitio, quantum fieri potest sine dispendio claritatis, sit brevis. Nescio autem, an ad eam, vel ad superiorem, cui affinis est, vel potius ad vtramque respexit Damascen. in Dialect. sua cap. 14. inquit, *Bonitas autem definitionis est, neque superabundare, neque deficere dictionibus: malitia autem, seu defectus definitionum est, deficere, & superabundare.*

Quod ad species definitionis attinet, prima eorum est definitio quid nominis, ut loquitur dialecticorum vulgus, aut ut Aristoteles 2. posterior. c. 10. interpretatio nominis. Per illam nempe non tam res explicatur, quam nomen; ut, si interroganti, quæ sit vis huius vocis, *homo*, respondeas, significare verum, & realem hominem, animal scilicet rationale, aut subiectum istorum accidentium communium, quibus à belluis, ac cæteris omnibus rebus dissidemus. Huc faciunt orationes originem

T 4 vocabuli

vocabuli explanantes, à Cicerone in topicis notationes, à Græcis, & non paucis etiam latinorum ethimologia dici solitæ: vt abstemius est, qui abstinet à temeto; sol, qui inter alia solus lucet, consul, qui reipublicæ consulit; fides, qua quod dicitur fit, senatus seniorum, ac patrum consessus.

17 Secunda species definitionis est definitio descriptiua, quæ strictè sumpta rem per genus, & proprium quarto modo definit, vt homo est animal risibile, aut est animal bipes implume. Huc quodam modo reducuntur definitiones per similia, & metaphoras, aut longos quosuis verborum circuitus, tametsi cum definito sæpe non reciprocentur. Eiusmodi est illa Chrysostomi tom. 4. homil. 14. quæ iram, ac tranquillitatem animi depingit; *Mens*, inquit, *irati forum est plenum tumultus, ubi multus, & eunium, & redeuntium clamor, camelorum, ac asinorum fremitus, argentariorum, & arariorum virique eudentium strepitus. Contra mens tranquilla & mitis vertex est quispiam montis, qui clementiorem cæli auram nactus est, puro solis radios, limpidas fontium scaturigines, multasque florum amenitates.* Talis etiam est illa populi fame pereuntis apud. Quintilianum declam. 12. *Vnus deficientis speciem tota ciuitas habet, canum macie caput, & conditis penitus oculos, & laxam cutem, nudos labris tremantibus dentes, rigentem vultum, & destitutas genas, & inanes faucium sinu. Prona est ceruix, tergum ossibus inaequale, infernis imaginibus simile.* Talis denique & illa discordiæ apud Petron. Arbitrum in satyrico.

Scisso discordia crine

*Extulit ad superos stygium caput, huius in ore
Concretus sanguis, contusæque lumina flebant,
Stabant arati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obfessa draconibus ora,
Atque inter torto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatit lampada dextra.*

18 Quarta definitionis species est causalis, quæ nimirum rem per causas externas explicat. Per finalem, vt homo est animal à Deo creatum, vt diuino aspectu, & æterna felicitate perfruatur. Per efficientem, vt ira est ebullitio sanguinis circa cor, id est affectus ex eo sanguinis ardore effici, & excitari solitus. Per exemplarem, vt homo est animal ad similitudinem diuinæ mentis factum. Postrema species definitionis est definitio essentialis quæ scilicet rem per genus, vel quasi genus & differentiam essentialem explanat, vt homo est animal rationale; aut quæ per partes physicas, si quæ rei inexistunt, materiam nempe & formam primariam, vt homo est compositum ex corpore, & anima rationali.

C A P V T I I I.

Diuisionis quidditas, species legesque.

19 **D**iuisio est oratio totum in suas partes distribuens. Ita ex Aristotele Ouiedus in Summul. controuers. 2. punct. 2. num. 1. Fonseca lib. 4. instit. Dialecticar. cap. 1. Arriaga disp. 3. Summul. sect. 2. Franciscus Alfonsus lib. 1. institut. Dialect. cap. 6. num. 1. Auerfa tract. 1. etiam institut. Logicar. cap. 4. & quæst. 4. log. sect. 5. & communiter ceteri dialectici. Prima autem species diuisionis est, ea qua nominis vnus aut multiplicis sensus visque distinguitur: vnde distinctio communiter solet appellari;

vt huius vocis adiectiua fuscus, fusca, fuscum, alia est significatio, per quam denotat colorem quendam nigredini vicinum, alia, qua vocem non claram, neque canoram: quo pacto eam vsurpauit Cicero lib. 2. de nat. deorum, qualemque alibi fuisse dixit vocem Antonij summi oratoris. Et huius orationis laterem lauas alia est significatio, quod laterem vndis abluas, alia quod operam ludas. At denique fortis huius, *aiote* *Æacida Romanos vincere posse* Pyrrho bellum cum Romanis gesturo ab Apolline Delphico datæ, ambigua, & non vna, sed multiplex fuit significatio, estque etiamnum.

20 Secunda diuisionis species est rei in partes integrales, siue homogeneas, cognatas, similes, & eiu dem nominis, & rationis cum toto, cuiusmodi sunt intuitu aquæ v. g. vel carnis, eæ quæ alterutram integrant; siue heterogeneas, multigenas, dissimiles, & diuersæ rationis, ac nominis à toto, quales sunt respectu corporis humani eius membra; aut anni, quatuor eius tempora, ver, scilicet, æstas, autumnus, hyems, vt describit ille.

*Verque nouum stabat cinctum florente corona,
Stabat nuda æstas, & spica ferta gerebat:
Stabat & autumnus calcatis sordidus vniis,
Et glacialis hyems canos hirsuta capillos.*

Tertia diuisionis species est rei in partes essentielles, siue realiter distinctas, vt hominis in corpus, & animam, siue sola ratione distinctas, vt eiusdem hominis in animal, & rationale. Quarta diuisionis species est in rei non in partes actuales; vt sunt hæcenus enumeratæ, sed in partes potestatiuas siue subiectiuas, veluti animalis in hominis, & belluam: huiusmodi enim inferiora explicitè, formaliter, & actu non sunt in toto vniuersali, quippe quod ab eis per intellectum, ac ratione nostra abstrahitur, sed tantum implicitè, virtualiter, ac potestatiuè, propter realem eius cum illis identitatem, & contractionem per illa saltem aptitudinalem. Quinta diuisionis species est, non substantialis vt hucusque, sed accidentalis, nimirum, vel subiecti in accidentia, vt homo alius albus, alius niger, vel accidentis in subiecta, vt album aliud lac, aliud nix.

21 Prima lex diuisionis est, vt nec diuisum latius pateat quam membra diuidentia collectim sumpta; nec è conuerso, sed potius inuicem se adæquent, vt disertè præscribit Aristoteles 2. post. 5. Quamobrem hæc diuisio, animal aliud est cornutum, aliud alatum, non valet: inferiora nempe non sunt toti, quod diuidunt, adæquata, sinuntque illud latius fundi, & non pauca animalia complecti, quæ nec alas habeant, neque cornua. Similiter hæc partitio, animal aliud homo, aliud bellua, aliud angelus, non est proba? quippe diuisum non adæquat collectionem inferiorum, & hæc latius excurrit, quam illud, cohibetque plura non animalia, substantias nimirum angelicas, intellectu non sensu præditas adeoque in animalibus haudquaquam reponendas. Vtramque partem huius regulæ acutè obseruauit Plato in Ciuili, insinuans toti diuiso omnes suas differentias nulla dempta subiiciendas esse, & contra differentiis assignandum esse totum, quod eas omnes, & solas comprehendat: En eius verba loco citato: *Oportet, ubi quis primo multorum percipit communionem, non prius desistere quam differentias omnes in ea, quæ speciebus clauduntur, inspexerit: Atque iterum, quoties dissimilitudines plurimas in similitudine sentit, & agere sentit, non prius ab hac aspectus molestia desistere posse, quam cuncta, quæ cognata sunt, intra cognationem vnã proprietatemque*

remque concludens, vniſus generis eſſentia veſtiat. Hæc ille.

23 Secunda diuiſionis lex eſt, vt diuiſum latiùs pateat, quam quodlibet membrorum diuidentium, eorumque nullam per ſe illius amplitudinem poſſit adæquare. Vnde prouenit, vt hæc diuiſio tanquam mala ſit reiſcienda, animal aliud eſt ſenſitiuum, aliud rationale: nam ſenſu præditum æque late funditur, atque animal; nullumque omnino animal eſt quod ſenſu non poſſeat, eſto non pauca ſint ratione deſtituta. Nec reſert, ſi quis obiciat, in his diuiſionibus; hominis pars Metaphyſica alia eſt animal, alia rationale; album aliud eſt molle, aliud durum; partem hominis non latiùs patere quam animal, imo hoc eſt contrario ſuſius excurrere quam hominem, atque adeò quam eius partem, album item non latiùs patere quam durum, ſed e conuerſo videri rem ſe habere; cum durum ita de albis non paucis marmore nimirum, ebore, oſſibusque dicatur, vt ea præter alia, quæ non ſunt albitudine prædita, complectatur vt ebenum, & ſimilia.

24 Hoc, inquam, ſi quis obiciat, nihil reſert: reſpondeo enim, & ſatis ex facili, quamuis animal, vt eſt totum poteſtatiuum, & à ſuis inferioribus abſtracium, adæque indiſſerens, latiùs pateat quam eorum quodlibet, ac proinde quam homo; cæterum illud, vt eſt pars actualis hominis, eumque explicite, & formaliter conſtituit, & ad eum contrahitur, ita quidem eo minùs late patere, propterea quod homo, præter animal, aliam partem rationale ſcilicet includat. Hæc circa vide à nobis dicenda inferiùs lib. 8. tract. 1. cap. 5. ad 3. Porro quod attinet ad diuiſionem albi in durum & molle, in alterutro horum inferiorum, totum, quod diuiditur, debet ſubaudiri: quæ regula locum vendicat in partitione cuiuſvis alterius totius poteſtatiui: durum ergo in quod diſſecatur album, perinde eſt atque durum album: ecquis autem non videat, durum album haud latiùs euagari, quam album, nec de ebeno, aut alio, quod non ſit album, poſſe prædicari.

25 Tertia diuiſionis lex eſt, vt eius membra diuidentia ſint oppoſita, & repugnantia, hoc eſt, vt diſtinguantur inuicem, neutrumque in altero includatur. Ita Ariſtotel. 1. de partibus animal. 3. Boëtius de diuiſione, ac Cicero lib. 1. de inuent. ibi: *Pauca in partitione ſeruantur, ſi genera ipſa rerum ponuntur, neque permixta cum partibus implicantur.* Et paulò infra, *hoc igitur vitandum eſt, ne cuius genus poſueris, eius ſicuti diuerſam aliquam ac diſſimilem partem ponas in eadem partitione.* Et lib. 2. de finib. ibi: *vitioſum eſt in diuidendo, partem in genere numerare.* Hac de cauſa malè diuiſeris viuens in plantam, animal, & hominem; aut corpus humanum in caput, oculos, collum, pectus, manus, digitos, pedes, &c. animal ſiquidem in homine includitur formaliter, & explicite, & homo in animali virtualiter, & implicite; ſuè, quod perinde eſt, homo continet in ſe animal, & animal continet ſub ſe hominem: digitum quoque in manu; & in capite includuntur oculi. Eadem de cauſa perperam diuidas corpora in alba, & dulcia; cum non pauca contingat eſſe alba ſimul, & dulcia, adeoque hæc membra ſeſe non excludant: nec non animalia in rationalia, & duos pedes habentia, propterea quod multa ſint animalia, homines ſcilicet, ſimul cum ratione binos habentia pedes, nec rationalitas, ac ratio bipedis opponantur inuicem.

26 Porro, ſi diuiſio ſit phyſica, & realis, qualis eſt ſupradictarum quælibet, oportebit eius membra ſeſe


realiter excludere. Quod ſi fuerit metaphyſica, ac ſolius rationis, tantundem, & non amplius diſtingui eius membra requiretur. Atque ita hominis pars metaphyſica benè diſtribuitur in animal, & rationale; ob id quod animalitas, & rationalitas rationis præſidio diſtinguantur, vt ut reipſa ſint indiſtinctæ. Sic etiam obiectum rectè diſſecatur in materiale, & formale, quia eſto eadem res per eundem realiter actum ſimul eſſe poſſit obiectum formale, & materiale, ac propter ſe & propter aliud cognosci, & amari, alia tamen formalitas cognitionis, & amoris eam facit obiectum formale, & alia ratione, & cogitatione noſtra eam conſtituit obiectum materiale: de quo vide dicenda à nobis in metaph. lib. 7. tract. 10. cap. 4. Ita denique diuiditur bonum non malè in honeſtum, vile, & delectabile, propterea quod ſic vni eidemque rei per ſeipſam conueniant honeſtas, vtilitas, & delectabilitas, vt harum trium formalitatum nulla non ſit à quauis alia conſiderationis noſtræ beneficio diſtincta.

27 Ad hæc, eſto diuiſio ſit realis, & phyſica, fieri poteſt, vt membra ſua ſinat quodam leniù realiter non diſtingui, dummodò realiter non diſtinguantur alio. Ita quantum optime diuidi ſolet in longum, latum, & profundum; quia licet hæc tria in concreto non ſint realiter diſtincta, eidemque corpori conueniant, cuiuſque merito de ſe dicantur inuicem; & in abſtracto diſtinguantur realiter, & nec longitudo, ſuè linea eſt latitudo, aut ſuperficies, nec alterutra eſt profunditas: quantum autem diuiſum vt ſuprà, non concretè, ſed abſtractè ſumi debet, vt perinde ſit atque quantitas: quam quis non cernat, non vitioſè diuidi in tres illas quantitates inter ſe realiter diſtinctas, & non cluſas inuicem, eſto omnes eidem ſubſtantiæ & in ea claudantur. Similiter benè habet diuiſio illa phyſica, & realis tradita à Seneca lib. 7. de benef. cap. 26. *alius libidine inſanit, alius abdomini ſeruit, alius lacri totus eſt, alius inuidia laborat, alius cæca ambitione, & in gladios ruente.* Nam eſto ſæpiſſimè contingat, vnum eundemque hominem omnibus his vitiis eſſe obnoxium; cæterum ſi ita interpretis diuiſionem, vt non ſit vitioſi hominis qualifcunque, ſed hominis ſpeciali quodam laborantis vitio; ita quidem ne in concreto vnum membrum diuidens includitur in alio deue eo prædicatur: eorum enim; in quibus vnum aliquod dominatur vitium, & non plura, aliis eſt libidinoſus, ſed non gula deditus; aut huic ſeruit, ſed non eſt auarus: vel ſi auaritia non inuidia; aut ſi hac, non ambitione laborat.

2 Quarta diuiſionis lex eſt, vt non ſit prolixa, ſed brevis quoad eius fieri poterit. Ita Ariſtoteles 2. poſter. 5. & 14. Boëtius de diuiſion. Cicero citato l. 2. de finibus, ubi inquit in plura quam oportet genera quidpiam tribuere, eſſe non diuidere, ſed frangere rem. Et Seneca epist. 89. *comprehendere, inquit, quemadmodum maxima, ita minima difficile eſt. Deſcribitur in tribus populus, in centurias, exercitus. Quidquid in manu creuit facilius agnoſcitur, ſi diſceſſit in partes, quas innumerabiles eſſe, & paruas non oportet. Idem enim vitij habet nimia, quod nulla diuiſio. Simile conſuſo eſt, quidquid uſque in puluerem ſectum eſt.* Ac Damascenus cap. 2. dialect. *omnis diuiſio à genere in ſpecies facta ſit in duo, vel tria, raro autem quatuor attingit, impoſſibile eſt enim diuidi genus in quinque ſpecies, & ſuprà: homo autem diuiditur in omnes homines, qui infiniti ſunt numero. Propterea aiunt, diuiſionem non rectè dici eam, qua ſit*

fit à specie in indiuidua sed enumerationem. Plato in ciuili his verbis: *ceterum haud satis, amice, tutum est, ad extremum, nimisque tenuiter omnia persequi partiendo: praestat autem per media prosequi: sic enim facilius meliusque ideas inuenimus.* Ac demum Martianus Mineus Capella in dialect. hisce verbis; *Diuidere usque eo debemus donec ad indiuiduum veniatur: & hoc fit, cum per differentias ad paucitatem genera redigimus.* Et paulo infra; *diuisionis quidem ratio inesse, & tractari debet: sed multum apparere non debet.*

29 Hanc regulam non obseruant, qui rei immediatas, proximas, & magis vniuersales species (quas semper pauciores oportet esse) transiliunt; ac per mediatas, remotas, & magis particulares (quarum numerum necesse est maiorem esse) propositam sibi rem dispeſcunt: veluti si viuens, non in sensibile, & in non sensibile, aut insensibile, sed in hominem, belluam, arborem, fruticem, & herbam diuidas; aut si animal diuidas, non in rationale, & irrationale, sed in animal rationale, siue hominem, & canem, simiam, leonem, taurum, &c. Quamuis autem, cum partes subiectiuae proximae nominibus negatiuis possunt explicari, fieri debeat in eas diuisio, vt ex nuper dictis liquet; ceterum, si positiua sortiantur nomina, iisque vti possimus absque breuitatis dispendio, tum haud est vtendum negatione vlla: quamobrem vitioſum esset magnitudinem diuidere, non in lineam, superficiem & profunditatem, sed in lineam, & non lineam.



TRACTATUS II.

De quibusdam dubiis circa definitionem, & diuisionem.

CAPVT I.

Enodantur quatuor priora dubia de definitione, & diuisione.

1 **P** RIMUM dubium circa eas esto; an definitio, & diuisio sint modus sciendi proprie loquendo? Quod attinet ad definitionem, qui eam esse negant, hi soli negant illam esse proprie modum sciendi: quando ergo certum est, eam esse, vt liquet ex dictis cap. 2. tract. praecedentis nemini ambiguum esse debet, quin sit propria ratione modus sciendi. Quod vero spectat ad diuisionem Faber theore. 7. absolute ei negat propriam, ac germanam quidditatem modi sciendi. At Zabarella lib. 3. de methodis cap. 6. tantum negat, diuisionem actualem esse proprie modum sciendi, solique diuisioni in partes potestatiuas hanc proprietatem concedit. Quod argumentum Fabro fauere possit, haud comperio: quamobrem eius sententiam cum vniuersa scola desero. Et quidem, siue modus sciendi sit oratio ignoti manifestatiua, quaecunque, & qualiscunque; siue id genus oratio, & praeterea talis, vt in ea artificium logicum eluceat; siue denique sit exemplar obiectiuium utile ad alias scientias comparandas; non est profecto cur diuisio omnis excludatur à vero, & proprio conceptu modi sciendi. Eadem etiam de causa censeo cum Raphaële Auerla quaest. 4. log. sect. 5. post medium, & plerif-

que aliis, aduersus Zabarellam, diuisionem totius actualis in suas partes esse proprie modum sciendi.

2 Dubitabis secundò, quanam definitiones, & diuisiones sint proprie, & rigorose tales? Respondeo inprimis, nullam definitionem non essentialem esse strictè definitionem: quoniam haec secundum omnes est oratio, vel propositio, vel modus sciendi explicans naturam, & essentiam rei: eam autem explicat sola definitio essentialis, partes scilicet metaphysicas rei, cuiusmodi sunt genus, aut quasi genus, & differentia, vel saltem physicas proponens: nec enim aliae praeter has sunt, quod aiunt, de essentia definiti.

3 Dices tamen. Definitio descriptiua rei per genus, & proprium quarto modo ei realiter identificata eius essentiam saltem physicam explicat: quidni ergo sit definitio proprie talis, eiusmodi si sit ea, quae partes physicas rei repraesentat; vt ista, homo est compositum ex corpore, & anima? Eadem ratione videtur, respectus essentialis rei ad causas extrinsecas, nempe finalem, efficientem, & exemplarem esse non improprie, & adumbrate definitiones, sed verè, & proprie, huiusque adeò veritatis, & proprietatis in definiendo expertes esse solas illas descriptiones, quibus Poetae & oratores vtuntur, quibusque per metaphoras, & similia, & aliquando sine illis, rei accidentia quadam realiter distincta longo sermone prosequuntur: nec non illas, merito quarum Dialectici, & Grammatici varios nominum vsus explanant.

4 Nullo tamen negotio repellitur haec obiectio. Oratio namque, qua dicitur hominem, v.g. componi ex corpore, & anima, eius essentiam physicam, & realem attingit, idque non vtunque, sed instar essentiae, & primae radice, siue conceptus primarij: qui enim sic definit hominem, nihil in eo prius concipit, aut iure potest, integritate illa, & compositione ex corpore, & anima: quid mirum ergo, si talis oratio hominem proprie definit? Ceterum haec v.g. homo est animal risibile, aut quaecunque alia per proprietatem, aut respectum ad causas rem definiens, essentiam quidem eius realem & physicam attingit, non tamen instar essentiae, sed potius accidentis logici, & conceptus cuiusdam secundarij, propterea quod proprietas rei, & eius respectus ad causas ratione nostra supponat eius essentiam logicam, ac respectum ad praecipuas suas, ac magis nobiles orationes: nulla ergo descriptio, nulla definitio causalis strictam definitionis indolem & essentiam sortietur. Vide inferius dicenda lib. 8. tract. 6. c. 5. circa medium.

5 Data opera, tum ad finem capitis secundi, tum hoc ipso cap. tertio paulo supra adieci particulam illam, *genus, aut quasi genus*, cum sermo esset utrobique de definitione essentiali & stricta. Arbitror enim aduersus Fonsecam lib. 5. instit. Dialecticarum cap. 3. Conimbricenses tom. 1. log. in cap. 5. de substant. quaest. 1. §. 1. & 2. & alios neotericos definitiones supremorum generum quibusue non sit aliud superius genus, ea tamen proprie & rigorose definire, esto per genus prescè tale ea non explicant, eo videlicet quod illorum essentiam & quidditatem etiam logicam proponant, quo quid amplius requiri potest ad strictè definiendum? Respondent aduersarij proponere quidem, sed non explicare, sicuti, vt pressa, & vera ratione definiant, opus est: propterea autem non explicare, sed primis veluti lineamentis adumbrare, quia genera ipsa, circa quae sunt ob maximam eorum vniuersalitatem vix aut

ne vix quidem ulitinent clarius reipsa representari, quam primò cognocebantur: proinde, inquit, hæ orationes, ens est quod potest esse, substantia ens per se, accidens ens in alio, bonum quod omnia appetunt, vnum indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, & similes, magis esse videntur nominum, quam rerum explicationes. Hæc illi: sed hallucinantur egregie: etenim identitatem realem (cuius conceptus est vniuersalissimus, nec ipso inferior ente, cuiusque, quod ad præsens attinet, & cæterorum transcendentium eadem est ratio) reipsa tamen, & non solo nomine, & vocabulo tenus posse explicari, & clarius quam ante innotescere demonstrabitur in meth. l. 2. tract. 2. cap. 1. & quidem non video quidni. Atque vt alios præteream hac in sententia perspicuè nobis adstipulantur Franciscus Alphon. lib. 1. instit. Dialecticarum cap. 5. numer. 19. difficult. 4. Hurtadus disp. 10. log. sect. 2. §. 5. & Arriaga disp. 3. summul. sect. 1. num. 5. ad finem. Ex his liquet, estd suprà maioris claritatis gratia distribuimus definitionem in quatuor species, scilicet quid nominis, causalem, descriptiuam, & essentialem; tamen magis pressam, ac dialecticam eius diuisionem ita esse faciendam; definitio alia est propria, nimirum essentialis, alia impropria: rursus impropria alia est descriptiua, alia causalis, alia solius nominis, & non quid rei ipsius.

Quod spectat ad diuisionem, omnibus in explorato est, diuisionem totius potestatiui in partes subiectiuas, seu species realiter distinctas propriè esse diuisionem. Cæterum verius arbitror, eam, si fiat in partes sola ratione distinctas, hunc in modum; pars hominis metaphysica alia est animal, alia rationale, haud esse propriè diuisionem: diuidi enim, ac distinguere sola ratione nequaquam est propriè distinctum, aut diuisum esse quid. Parique ratione nec diuisionem vocis in solos sensus diuersos, nec rei in varia accidentia esse strictè diuisionem, cum diuidi, aut distinguere in nomine aliquo plures significationes, aut in re aliqua plura accidentia, haud sit reapse ac verè entitatem materialem vocis, reuè subesse alicui diuisioni, aut distinctioni, vt per se claret. Maior difficultas est, an diuisio totius actualis non in partes sola ratione distinctas (ita enim quid de ea dicendum sit, nuper in simili deliberatum est) sed in partes realiter distinctas, sit propriè diuisio?

Negant recentiores ingenio nobiles: quia leges omnis verè diuisionis sunt, tum quod à negatione partium omnium diuidentium ad negationem diuisionis valet consequentia, tum quod valet ab affirmatione diuisionis ad affirmationem alicuius partis diuidentis: atqui hæ leges tenent in diuisione totius potestatiui in suas partes: sequitur enim; non est homo, nec bellua; ergo non est animal; necnon sequitur, est animal; ergo vel homo, vel bellua. Cæterum non tenent in diuisione totius actualis; haud enim deducitur; equus non est corpus, nec est anima sensibilis; ergo non est animal, seu viuens sensibile: haud etiam ritè deducitur; equus est animal; ergo vel est corpus, vel est anima sensitua. Signum ergo est solam diuisionem potestatiuam: non verò actualem esse propriè diuisionem, ac modum sciendi. Respondeo tamen, leges omnis verè diuisionis esse assignatas à nobis suprà: duas autem in præsentia obiectas, non omnis diuisionis, sed solius potestatiuæ esse proprias: nec contrarium ab aduersariis probari, aut posse.

Alia quoque ratione recentiorum firmari potest opinio: totum aliquod diuidi propriè est propriè,

ac realiter illud distinguere, ac multiplicari: sed in sola diuisione potestatiua v.g. animalis in hominem, & belluam id, quod diuiditur, realiter multiplex, ac diuersum est in suis partibus & inferioribus; cum interim homo v.g. non ob id quod diuidatur in corpus, & animam, merito vnus, & alterius realem vllam sortiatur multiplicatam; alioqui certè illam habebit Petrus & quoduis aliud indiuiduum ex partibus actualibus coalescens. Respondeo tamen, vt lignum hoc, quod perspicuitatis gratia nominetur A, physicè diuiditur, cum serra separantur inuicem eius partes, absque eo quod in eis multiplicetur, ita intentionalem diuisionem alicuius totius, eamque veram, & propriam contingere posse, sine vera multiplicatam eius, quod diuiditur.

Quamobrem censeo, diuisionem totius actualis, ac physici in partes suas, non minus quam partitionem totius potestatiui, esse verè, & propriè diuisionem, cum nullum sit argumentum, quod oppositum suadeat vt ex dictis perspicuum est. Alij nostram hac in re opinionem confirmabunt, hunc in modum: diuisio totius actualis est propriè modus sciendi iuxta statuta à nobis dubitatione superiori: at non est definitio, nec argumentatio; ergo diuisio. Sed male: tum quia vt demonstratum est suprà cap. 1. tractatus superioris, fieri potest, vt propositio aliqua, aut oratio sit propriè modus sciendi, quin tamen propriè, aut strictè obtineat rationem definitionis, diuisionis, aut argumentationis: tum etiam, quia diuisio actualis metaphysica neutiquam dicenda, aut censenda est pressè, ac rigorosè diuisio; esset autem non minus quam actualis physica, si cuius esset momenti quod respuimus argumentum.

Ex hæcenus adductis de diuisione constat, esto eius species latè tradi, & explicari soleant, vt à nobis suprà ad initium capitis superioris; cæterum ita ens oportere secerni, si diuisionis partitio est exigenda ad dialecticum rigorem: diuisio alia est propria, alia impropria: propria iterum alia est totius in partes potenciales realiter distinctas, alia est eius in partes actuales reali etiam distinctione seclusas inuicem: impropria verò rursus alia est rei, aut in partes sola ratione distinctas, quæ demum illæ cunque sint, siue eius in accidentia sua physica, siue denique nominis in suos sensus. Diuisio autem accidentis in subiecta ad diuisionem potestatiuam reuocatur, cum perinde sit dicere, album aliud nix, aliud lac, atque album aliud est album tali subiecto constans, aliud est album a lio subiecto coalescens. Quin etiam diuisiones improprie subiecti in accidentia, & nominis in suas significationes proprietatem induere, & ad diuisionem potestatiuam reduci sultinent: nimirum si eas commodè interpreteris: duas autem eius genij suprà positas in cæterarum exemplum sic poteris interpretari: homo coloratus, vt talis, alius est albus, alius niger: significatio fulci alia est, qua colorem; alia, qua vocem indigitat.

Dubitabis tertio circa definitionem, & diuisionem, an differentie tam diuidant genus, quam definiunt, & constituunt speciem? Affirmat Arriaga disput. 3. summul. sect. 2. & quidam alij: quoniam differentie vt quod, & velut partes simul cum generibus constituunt, definiuntque speciem. Atqui etiam vt quod, ac velut partes quædam diuidunt genus, siue, quod perinde est, quælibet earum est id, in quod diuiditur genus; cum v.g. animalis diuisio sic se habeat: animal aliud est rationale, aliud irrationale. Et quidem, si species sunt membra

diuidentia

diuidentia generis, quia animal v. g. diuiditur hoc modo; animal aliud est homo, aliud brutum, negari haud posse videtur, quin eadem de causa differentia sint membra diuidentia generis, & non tantum rationes diuidendi genus in membra alia.

Enimvero oppositam sententiam tuetur Boëtius in lib. de diuisione, Porphyrius in cap. de differentia, Fonteca lib. 4. instit. dialecticar. cap. 8. Franciscus Alfonsus lib. 1. etiam instit. dial. cap. 6. n. 15. Hurtad. disp. 10. log. sect. 8. §. 35. aiunt enim, etsi differentia quouis sit in quod species, quam componit, resoluitur, velut in partem, non tamen esse id, in quod diuiditur genus, sed per quod, aut quo diuiditur genus, & hoc in solas diuidi species. Ratio autem potissima, qua mouentur plerique huius sententia auctores, est, quia ens naturale completum non diuiditur physice in formam telluris, aeris, lapidis, hominis &c. sed in hos ipsos per ipsorum formas: marmor item non diuiditur in formam statuæ, mensæ, cathedræ &c. sed in hæc artefacta per eorum formas: similiter ergo genus non diuiditur in differentias specierum, sed in species per differentias. Parum est in hac questione momenti: nihilque refert, quam eius partem sequaris, quovè vtaris loquendi modo. Si secundus placet, dicito ad argumentum, quo probatur primus, subaudiri animal ex parte differentiarum, cum in eas diuiditur genus, & hoc non in illas secundum se sed simul cum genere sumptas adeoque magis in species, quam in ipsas distribui: aut vno verbo; animal aliud est rationale, aliud irrationale, idem esse, atque animal aliud est animal rationale, aliud est animal irrationale, siue aliud homo, aliud brutum: ex quo quid potest effici aduersariis fauorabile? Sin autem primus loquendi modus tibi magis arrideret, dic ad fundamentum, cui secundus innititur, ens naturale completum haud diuidi in formas physicas substantiales, ita vt de eis prædicetur; at absolute in eas diuidi, velut in partes actuales; marmorque similiter dissecari in formas artificiales statuæ, mensæ, cathedræ, velut subiectum in accidentia, non tam in quibus sit, quam quæ sint in illo. Similiter ergo, licet non possit genus, ex. g. animal, de rationali, & irrationali prædicari, poterit tamen in illa diuidi, veluti in formas, quæ de ipso possunt, ac debent prædicari.

12 Quartò dubitabis, an diuisio totius actualis in suas partes sit formaliter distincta à definitione? Quod enim attinet ad diuisionem totius potestatiui in partes subiectiuas, v. g. animalis in rationale, & irrationale, eam haud esse propriè definitionem omnes supponunt, nemoque non censet, animal definiendum esse per viuens sensibile, aut compositum ex corpore, & anima sensitua. Pari ratione siue nomen in varios sensus, siue rem in accidentia physica, siue accidens in varia subiecta dispescas, luce clarius est, nullam harum sectionem strictè definire, aut essentia tenuis explicare rem; quandoquidem neque significatio est nomini essentialis, neque accidens physicum subiecto, aut subiectum accidenti. His constitutis diuisionem totius actualis in partes suas essentielles esse formaliter definitionem, ab eaque non distingui censo: idque etiam censent Hurtad. disp. 10. log. sect. 6. Arriaga disp. 3. summul. sect. 2. Atque ideo forsitan Aristotel. lib. 1. metaph. cap. 7. text. 48. Albertus in Porphyrium tract. 1. & alij non pauci antiquorum duos tantum differendi modos adstruunt, videlicet argumentationem, & definitionem: quia nempe putant, diuisionem in partes actuales, & essentielles

ad definitionem strictam, & simpliciter talem reuocari; diuisionem autem totius in partes potestatiuas, aut subiecti in accidentia, aut accidentis in subiecta, aut nominis in varios sensus ad definitionem secundum quid, siue descriptionem quandam reduci. Quanquam autem Plato in Sophista, Phædro, & Ciuili, Cicero lib. 1. de finibus, Augustinus agens de origine artium tres differendi modos adstruant, ac diuisionem à definitione non minus, quam hanc ab argumentatione, distinguant, intelligendi tamen sunt, non de diuisione totius in partes actuales, sed de cæteris speciebus diuisionis, illisque comparatis ad solam definitionem essentialem, ac propriè, & simpliciter talem.

Causa autem quapropter persuasum habeo, diuisionem actualem, ac definitionem strictam non distingui est, quia illa partes essentielles suapte natura explicat; ergo & rei essentiam sicuti oportet, vt non tantum diuisio sit, sed etiam definitio: hæc etiam rei proponit, & exponit essentiam, ergo & partes essentielles; quidni ergo sit diuisio, & non definitio tantum? Atque, vt hi actus, homo constat corpore, & anima, hominis pars alia est corpus, alia est anima, quandam habeant in modo representandi diuersitatem, quæ quam exigua sit, nemo non videat paulo iudex æquior; cæternm nescio, cur nam alteruter non sit simul definitio, & diuisio, eo scilicet titulo, quem nuper perstrinximus. Quocirca diuersitatem eorum actuum frustra quidam nobis obiiciunt. Qui autem opponunt, definitionem ex peculiari suo genio veluti componere, & copulare partes rei, ac diuisionem eas potius separare, nil nisi meras nugas adferunt: etenim qui ait, hominem esse compositum ex corpore, & anima, partes, ejus intentionaliter separat, cum eas vt distinctas repræsentet: qui verò hominis partem aliam esse corpus, aliam animam, partes hominis intentionaliter componit, cum adstruat partes componentes hominem esse duas illas, scilicet corpus, & animam.

14 Tertiò denique qui obiiciunt, diuisionem rei eam distinguere à quauis alia, secus vero definitionem, hi quidem splendide falluntur: namque definitio præter genus, differentiam etiam importat; rem ergo à quacunque alia distinguit, ac secernit in actu primo. Quod si sermo sit de actu secundo absolute aliarum rerum cognitionem concernente, ita certe nec definitio, nec diuisio rem ab omni alia distinguunt suapte natura, cum res quauis absque aliarum expressa notitia possit diuidi, ac definiri. Video huic sententiæ contrarios esse Franciscum Alfonsum supra cap. 6. & Ouedum controuers. 2. summul. punct. 2. n. 7. nec non idem quod ambos sin minus exprimere, at certe insinuare Conimbrienses tom. 1. log. q. 6. proemial. art. 1. §. tertio si ita res esset. Sed & video nihil ab eis adferri, quod ex dictis aut non sit solutum, aut non sit facile solui.

CAPVT II.

Duo alia dubia de definitione, & diuisione diluuntur.

15 Alterum eorum est, an definitio & diuisio mentales sint in intellectu duntaxat possibili, seu passibili, nec definiamus, aut diuidamus mentaliter, donec cognoscamus, & formaliter percipiamus, quæ sit natura rei, & quidditas, & quæ eius partes. Plerique

que affirmant adeoque certum, & exploratum supponunt, quod affirmant, vt id ne in controuersiam aut dubium reuocent. Probabile tamen ducō, definitionem, & diuisionem, nec eas modō, sed quemuis sciendi modum reperiri posse in intellectu agente, eo videlicet, quo species impressas abstrahere consueuimus à phantasmatis.

16

Moueor autem, quia hæc voces, homo est animal rationale, sunt definitio (quod & ita esse dubitat. sequenti clarebit, & si ita non est, parum interest, quando euidentis quidem est, idem argumentum fieri posse in his vocibus, animal rationale, eas si quis solas putet esse definitionem vocalem hominis.) Atqui formaliter affirmant de homine eius quidditatem, non intrinsecè, ac suapte natura, sed arbitrariè, & per ordinem, quem ex hominum libito fortiuntur ad iudicium mentale animal rationale de homine affirmans. A fortiori ergo species impressæ causariæ talis iudicij idem formaliter affirmabunt, sicut ad definiendum, aut oportet aut satis est, per ordinem scilicet, non arbitrarium, sed naturalem, & intrinsecum ad cognitionem illam, cui potissimè conuenit esse definitionem hominis, deque eo quod sit animal rationale affirmare. Rursus secundo, species impressæ siue distinguantur ab habitibus intellectualibus, siue secus (vtrum enim horum eligatur, nihil refert ad præsentem questionem) instrumentaliter significant, vt expressè tueritur Conimbricenses, & Arriaga à nobis laudati supra tract. 1. libri sexti cap. 2. dubit. 7. vtque colligitur ex Aristotele, Augustino, Thoma, Ferrariensi, Caietano & Rhodigino ibidem citatis, ac denique vt conuincunt rationes, quas super authoritatis tantæ præsidium hac pro sententia eodem in loco adduximus. Species ergo impressæ, quæ respondent his vocibus, homo est animal rationale, hoc instrumentaliter significant obiectum, hominem ergo esse animal rationale affirmant, adeoque eum definiunt, cum non alio nomine ipsæ illæ voces hominem definiant, deque eo quod sit animal rationale affirmant, nisi quia instrumentaliter significant hominem esse animal rationale.

17

Tertio denique aut species impressæ immediate, & per se habent, quod etiam formaliter representent, vti neotericorum Thomistarum haud paucis libet; & ita non est, cur non affirmant formaliter, hominem v. g. esse animal rationale, eumque proinde non definiant: aut species impressæ tantum intrinsecè, ac suapte natura habent, quod representent virtualiter, vt nostris communiter placet authoribus; atque ita haud comperio, cur formaliter non representent, mediâtè saltem, ac denominatione hausta ab ea cognitione, quam causant; sicut species hominis iuxta omnes est vniuersalis per denominationem à conceptu vniuersali hominis, quem nomine causat obiecti, aut alio, si mauis, aliquo. Quocunque autem modo species formaliter representent hominem verbi gratia esse animal rationale, id necesse est, vt affirmant, & consequenter humanæ definitionis rationem sortiantur. Qui probationes has rectè expenderit facile comperiet, eas nullo negotio applicari posse, tum diuisioni, & argumentationi, tum cuiunque orationi ignoti manifestatiua, atque quod omnes, non minus quam definitio esse possint, & soleant in intellectu agente, demonstrare. Quæ autem rationes afferri possunt pro contraria sententia, leues admodum sunt, easque adeo omitto, ne cum Virgiliano *Ænea* tenues persequi videar sine corpore vitas.

Alterum dubium cuius enodationem pollicitus
P. Lyncei *Philosophia* Toml..

sum ad initium huius capituli, est ad quam facultatem intellectus possibilis pertineant definitio & diuisio. an scilicet ad eius vim apprehensiuam, vel duntaxat iudicatiuam? Definitionem (par autem est diuisionis ratio ad solam illam priorem vim spectare, & non ad posteriorem hominemque v. g. tum duntaxat definiri, quando sine illo apprehenditur animal rationale, non quando hoc de homine prædicatur perspicue docet Aristotel. lib. 1. de interpret. cap. 4. & lib. 2. poster. cap. 3. & lib. 6. topic. cap. 2. prædictisque cum eo locis Auerroës, B. Thomas pluresque alij interpretes antiqui: Item Ouedus controuers. 2. summul. punct. 1. num. 2. & Franciscus Alфонsus lib. 1. instit. dialecticarum cap. 6. difficult. 6. num. 26. Contra verò solum iudicium esse definitionem, & hanc minimè pertinere ad facultatem apprehensiuam intellectus possibilis, aut passibilis tueritur ab lib. 7. cap. 3. si forte ibi de definitione stricta sermonem habet, vt aliqui existimant, & cum Fabio Hurrad. disp. 0. log. sect. 6. num. 26. & clarius infra sect. 12. §. 58. Eidemque sententiæ nec minus quam priori fauere videtur Aristotel. lib. 1. poster. cap. 2. text. 14. & eiusdem lib. cap. 7. & lib. 2. poster. cap. 10. Tertia sententia, & quæ mihi magis arridet, est definitionem ita sumi posse, vt ad solam partem apprehensiuam intellectus possibilis atineat; nec non ita eam usurpari posse vt in iudicio consistat, & ad eam intellectus possibilis partem spectet, cuius est apprehensa componere, aut diuidere inuicem. Ita Arriaga disp. 3. summul. sect. 1. num. 8. Auerla q. 4. log. sect. 4. §. hæc tota diuersitas. In eadem sententiâ quod caput est, videtur esse Aristoteles ipse, vt colligitur ex variis eius locis paulo supra adductis: nam si conferantur inuicem, non contrariarum sententiarum alterutram, sed nostræ vtramque partem confirmant: quibrem opinionem nostram esse Aristotelicam fatetur Fonseca lib. 5. institut. dialecticarum cap. 1. quanquam ipse in primam sententiam superius relatum magis inclinet.

19

Porro autem prior nostræ sententiæ suadetur assertio. Nam definitio est clarior suapte natura definito: sola autem apprehensio animalis rationalis v. g. est clarior apprehensione hominis. cum hæc haud sit clarior seipsa: prior ergo illa duntaxat est definitio hominis, nec definitionem hominis posterior constituit: constitueret autem, si definitio præfata esset duntaxat iudicium, quippe de cuius ratione est, vt prædicati & etiam subiecti conceptum complectatur. Quod si quis respondeat, conceptum, tum hominis, tum animalis rationalis, quo scilicet vtrique componitur, & alter affirmatur de altero, haud dubie esse clariorem sola hominis apprehensione, perperamque adeo à nobis supponi, solius animalis rationalis conceptum esse clariorem conceptu hominis, sicut ad definitionem oportet; in contrarium est, quod iudicium prædicans animal rationale de homine eatenus tantum sit clarius apprehensione hominis, quatenus fertur in animal rationale: hoc ergo solo ex titulo est definitio, vt priori modo hæc sumitur, neque nisi materialiter se habet respectu illius, vt ita definit hominem, quod hunc concipiat.

20

Rursus secundo: definitio obiectiua ita sumi potest, vt sit solum animal rationale v. g. non verò homo, & animal rationale, atque vtriusque identitas: ergo & formalis similiter ita poterit, ac debet usurpari, vt sit non cognitio trium illorum conceptuum obiectiuorum, iudicium vè omnes ex æquo complectens, sed cognitio solius animalis rationalis, seorsim à quocunque alio. Antecedens (haud enim

V

enim

enim consequentia verti potest in dubium) suadet: nam definitio obiectiua conuerti potest, ac debet cum definito: solum autem animal rationale est, quod cum homine conuertitur, idemque est de quouis alio predicato quoduis definiente subiectum definitio ergo obiectiua hominis est solum animal rationale, & similiter rei cuiuscunque alterius id quod de ipsa predicatur quidditatiue. Nec momenti quidpiam est in eo, quod aliqui proculdubio obiciunt, ita hoc argumento primam nostrae sententiae partem confirmari, vt eius posterior pars destruat, eo quod definitionis omnis videatur lex esse, quod conuertatur cum definito; vnde videtur confici, totam hanc propositionem obiectiuam, scilicet homo est animal rationale, nequam cum homine definito conuerti, aut esse definitionem. Nihil inquam est in hac obiectione momenti. Verius enim est, definitionis omnis incomplexae, non vero complexae conditionem esse, vt debeat cum definito reciprocali. Quod suadeo ad homines: namque vel aduersarij debent concedere definitionem formalem non conuerti cum definito, soliusque definitionis obiectiuae proprietatem esse eiusmodi conuersionem: haud ergo lex illa est absolute omnis definitionis, sed certa cuiusdam, sed tamen illius, vt hoc interim fatear, in omni materia.

21 Præterea tertiò lex quadam definitionis est, vt eam non ingrediatur definitum: at ea locum non habet in definitione complexa, & enuntiatiua, de qua postea: hanc enim definitum ingreditur, vt luce clarius: fatendum ergo est, dari definitiones quasdam incomplexas, & apprehensiuas, quæ id habent omnes, & singulæ, vt definitum sit prorsus extra illarum fines. Non me fugit, regulam illam quodam sensu tenere in definitionibus etiam complexis: nullam enim harum predicato tenus intrat definitum, quod solum sufficit ad vitandam repetitionem inutilem, & eiusdem per seipsum explicationem. Caterum video etiam expeditorem eius regulæ sensum, magisque planum esse, quod nullo pacto definitum ingrediatur definitionem: quod si ita est sanè locum habet in sola definitione incomplexa: hæc ergo est admitenda.

22 Posterior iam nostræ pars hoc vno probatur argumento. Definitio est oratio explicans naturam rei: at certo certius est, hanc propositionem, *homo est animal rationale*, hominis explicare naturam, eamque suis figurare coloribus: hominis igitur erit definitio: quæ autem est huius propositionis ratio, eadem est cuiusque alterius similis.

23 Dices, id in hac probatione vitij esse, vt priorem improbet nostræ sententiae partem, aut certe eius improbandæ præbeat occasionem. Etenim qui negat hominem v. g. esse animal rationale, hominem non definit, eiusque naturam non explicat, sed implicat vt sic dixerim, eamque non tam pandit, & manifestat, quam occultat: sed sic enuntians & iudicans apprehendit animal rationale: sola igitur apprehensio animalis rationalis haud est definitio hominis.

24 Respondeo: quodditas, & natura rei est eius definitio obiectiua: & formalis rei definitio est oratio, seu cognitio explicans, & exprimens eam quidditatem: cognitio autem negans animal rationale de homine, esto attingat quidditatem hominis, non tamen vt est in se, sed aliter quam est in se, adeoque eam non explicat, nec exprimit: nil mirum ergo si haud sit definitio hominis. Atqui ap-

prehensio animalis rationalis, illud nec negans nec affirmans de homine, quidditatem hominis, vt est in se, attingit; id est non aliter, quam se habet illa à parte rei: haud enim alio modo particulam illam *vt est in se*, oportet accipi. Eiusmodi ergo apprehensio quidditatem hominis exprimit, & explicat: proindeque definitionis sortietur essentiam. Aut paulo aliter: ita ea apprehensio proponit quidditatem hominis, vt vi ac luce illius scire, & iudicare possimus, quid sit homo: explicat ergo quidditatem hominis. At vis illa directiua ad iudicandum quid sit homo, eade quidditatis humanæ lux præuiua haud visitur in propositione negante animal rationale de homine, cum negatio haudquaquam dirigat ad oppositam affirmationem, nec ei faciem præferat. Potior ergo ratio est, vt mera apprehensio animalis rationalis sit hominis definitio, quam animalis rationalis de homine negatio.

25 Dices iterum, definitionem hominis v. g. explicare debere hominem, absque conceptu respondentis huic voci, *homo*, quod non præstat hæc propositio, homo est animal rationale. Et quod ita sit explicandus homo per suam definitionem patet, quia alioqui ea similis erit picturis, & imaginibus seu adeo obsoletis, & attritis, seu adeo rudi, & imperita manu deformatis, vt discerni facile non possit, an hominem v. g. vel leonem figurent, nisi superscriptus sit titulus, hic homo, aut hic leo. Sed nego antecedens, & qua probatur, sequelam. Non enim ex eo quod hæc propositio, homo est animal rationale, quidditatem hominis attingat conceptu respondente huic voci, homo, & non huic soli, animal rationale, quidditatem illam minus perfecte exprimit, & repræsentat; imò multis partibus perfectius, vt visum est. Nulla ergo eius esse potest comparatio ad picturas inscriptionis indigas, vepotè quæ non alia de causa titulo sic egent nisi quia res illas, quarum sunt imagines, haud satis ad viuum exprimunt, ac delineant.

26 Ex hæcenus disputatis animaduertes, definitionem definitionis supra cap. 2. traditam, scilicet quod sit oratio explicans naturam rei, aut esse solius definitionis incomplexæ, & in sola apprehensione interna, aut externa sita: ita enim erit proba, & per genus proximum: aut, si velis eam accommodare definitioni complexæ, & in enuntiatione consistenti, voculam illam, *oratio*, restringendam esse ad solam perfectam, & iudicatiuam; restringendam, inquam vel expresse, vel certe tacite, & subaudiendo quod non exprimitur; alioqui enim definitio erit mala, & per genus remotum. Quod autem dico de definitione definitionis, id etiam dictum puta de definitione diuisionis seruata proportionem, ea nimirum, qua explicata est per hoc quod sit oratio totum in suas partes distribuens.

27 Vt autem eò regrediamur, vnde digressi sumus, superest aliud argumentum, quo non diuisum, & per partes, vt supra, sed simul, ac iunctim probari potest nostra sententia duplicem statuens definitionis nec non diuisionis acceptionem. Id autem argumenti commodè non possumus proponere, nisi prius explicemus, an argumentatio, & syllogismus consistant in solis præmissis, vel in iis, ac simul assensu conclusionis. Qua in re quatuor inuenio sententias. Prima est syllogismus completi præmissas simul & conclusionem. Ita Hurtadus disp. 10. log. sect. 12. §. 61. Arriaga disp. 15. log. sect. 2. Franciscus Alfons. lib. 5. dialect. instit. cap. 2. num. 2. & communiter Recentiores. Secunda sententia, in quam teste Hurtado inclinant Philoponus & Barana, est, solam

folam conclusionem esse syllogismum, & argumentationem, siue discursum. Tertia sententia est, solas præmissas esse syllogismum. Ita Auerroës 1. periherm. cap. 1. & 2. priorum cap. 4. & in epitome priorum in princip. Albert. 1. prior. tract. 1. cap. 5. Nimphus 2. poster. comment. 2. dub. 2. Quarta sententia est, syllogismum vno modo sumptum esse præmissas & simul conclusionem: cæterum aliter etiam sumi posse, & solere, vt sit vel solæ præmissæ, vel etiam solæ conclusio. Ita absolute Auerfa quæst. 25. log. sect. 6. & quod attinet ad præmissas syllogisticas Conimbricens. 1. prior. cap. 1. q. 2. a. 2. & Ouedus controu. 9. log. punct. 1.

28 Postrema sententia præcisè sumpta ac nulla ei adhibita moderatione mihi magis aridet. Atque quod aliquando syllogismus intrinsecè, & essentialiter comprehendat tam præmissas, quam conclusionem, suadet. Primo quia, iuxta Aristotelem, & cæteros philosophos, syllogismus est, in quo quibusdam positis aliud sequi necesse est: quæ definitione admilla quis nõ videat syllogismum claudere intra se, & assensum præmissarum, & simul conclusionem, quæ ex eis necessario sequitur? Secundo, quia syllogismus est compositum per accidens, & artificiale quamuis ergò physice, & per se non vniantur inuicem conclusio & præmissæ, tamen poterunt constituere syllogismum. Rursus tertio Aristotel. 2. physicor. text. 31. ait, præmissas, seu suppositiones esse materiam syllogismi, & conclusionem eius veluti formam. At materia, & forma constituunt intrinsecè totum, ac sunt de illius conceptu.

29 Quod autem solæ præmissæ dici possint aliquando syllogismus nec possunt, sed soleant etiam, hunc in modum probatur. Aristoteles 2. prior. cap. 1. docet, eundem syllogismum inferre conclusiones diuerfas, vt claret in Celarent v. g. & Celantes: & 1. posterior cap. 2. demonstrationem definit, esse syllogismum facientem scire. Solæ autem præmissæ inferunt conclusionem, seu scientiam, neque hæc est illatiua suimet ipsius: præmissæ ergò duntaxat sunt syllogismus, aut certe hic perperam dicitur ab Aristotele inferre conclusionem. Præterea Philosophus

1. prior. cap. 25. syllogismum ait, constare ex duabus propositionibus: at, si esset, prout ibi accipitur, complexio quædam præmissarum, & conclusionis, non duabus sed tribus coalesceret propositionibus; & ne duabus quidem, si esset solæ conclusio. Quamquam fateor hunc locum aliter posse exponi, vt scilicet duæ enunciationes conclusioni præuiæ dicantur vna propositio, & simul cum conclusione duas efficiant. Atque ita interpretatur enim Aristotelis textum Auerfa cum aliis. Quod si quis opponat aduersus hanc nostræ sententiæ partem: fore ex ea vt vna tantum enuntiatio quandoque dici possit formaliter enthymema, concedo consequentiam, si sumatur enuntiatio illa non sine ordine ad aliam, quam valet inferre, siue vt capax illius inferendæ.

Quod etiam conclusio sola, ac per se interdum dici mereatur syllogismus probatur. Primo quia syllogismus haud raro accipitur pro tertia mentis operatione, hæc autem perinde est atque conclusio, nec ab ea differt. Secundo quia Aristoteles 1. de anima text. 48. sic ait *demonstrationes habent pro fine syllogismum, aut conclusionem*; vbi pro eodem vtrumpue. Hinc ergò nostram de definitione & diuisione sententiam supra traditam suadeo. Syllogismus interdum est assensus præmissarum, ac simul assensus conclusionis, interdum verò alter duntaxat eorum assensuum. Similiter ergò definitio quandoque erit subiectum & prædicatum, totave propositio, quandoque solum prædicatum: nec definitio tantum, sed & diuisio eodem iure, eodemque modo id ipsum sibi vendicabit. tque hactenus de modo sciendi, eiusque tribus potissimis speciebus, nempe definitione, diuisione & argumentatione: de duabus quidem prioribus latè & ex professo: at de hac postrema obiter, & quoad paucula, eaque duntaxat quæ ad finem huiusmodi capituli paulo superius sunt perstricta. Nec vero pluribus opus erat, cum locos omnes argumentandi dederimus libro primo, vnumque septima: cætera vero quæ ad argumentationem, prout logici instituti est, spectant, lib. 5. nostri operis.

30



LIBER OCTAVVS

De Vniuersalitate veritatis.



TRACTATVS I.

De Ratione communi vniuersalitatis.

CAPVT I.

Quidnam sit vniuersale in communi præsentis instituti proprium?

I

VNIERSALE, aliud est in causando, quod plurium virtus productiua est: quæ ratione Deus rerum creatarum vniuersalis causa dicitur. *P. Lyncei Philosophia Tom. 1.*

ci consuevit, quia omnes de nihilo condidit: eodem etiam ex titulo Sol. & sydera, sine quorum influxu res inferiores sub lunæ cauo contentæ illuc essent peritura, harum dici adsolent causæ vniuersales. Rursus vniuersale, aliud est in significando: quod videlicet plura refert, seu representat: hoc pacto species impressa Angeli plura ei distinctè proponens, estd ipsamet sit in se indistincta, & indiuisibilis, dici solet vniuersalis, & non more nostrarum quarundam singularis: eo etiam pacto vox homo, & conceptus ei in mente respondens dicitur vniuersalis, quia non vnum hominem, velut Ignatius significat: eo denique Cometæ veluti signa quædam vniuersalia portendunt regnorum euerfiones, Principum mortes, aliasque clades imminentes.

V 2

Neutrum